

*Leistungskurs Bayern 1984*

**Das Weltall als Gottheit**

*(Cic., de natura deorum 2,33)*

*Nach stoischen Vorstellungen ist die Wärme des Weltalls (ardor mundi) Ursache aller Bewegung. Im folgenden Text dienen Gedanken Platons über die Eigenart der Bewegung als Ausgangspunkt für eine Beweisführung, in der aus den Entwicklungsstufen der Geschöpfe auf die Göttlichkeit des Weltalls geschlossen wird.*

Audiamus Platonem quasi quendam deum philosophorum! Cui duo placet esse genera motus, unum suum (1), alterum externum; esse autem divinius, quod ipsum ex se sua sponte moveatur, quam quod pulsu agitetur alieno. Hunc autem motum in solis animis esse ponit ab hisque principium motus esse ductum putat. Quapropter, quoniam ex mundi ardore motus omnis oritur, is autem ardor non alieno impulsu, sed sua sponte movetur, animus sit necesse est; ex quo efficitur animantem esse mundum.

Atque ex hoc quoque intellegi poterit in mundo inesse intellegentiam, quod certe est mundus melior quam ulla natura (2). Ut enim nulla pars est corporis nostri, quae non minoris sit, quam nosmet ipsi sumus, sic mundum universum pluris esse necesse est quam partem aliquam universi. Quod si ita est, sapiens sit mundus necesse est. Nam ni ita esset, hominem, qui esset mundi pars, quoniam rationis esset particeps, pluris esse quam mundum omnem oporteret.

Atque etiam si a primis inchoatisque (3) naturis (2) ad ultimas perfectasque volumus procedere, ad deorum naturam perveniamus necesse est. Prima enim animadvertimus a natura sustineri ea, quae gignantur e terra, quibus natura nihil tribuit amplius, quam ut ea alendo atque augendo tueretur.

Bestiis autem sensum et motum dedit et cum quodam appetitu accessum ad res salutare, a pestiferis recessum. Hoc homini dedit amplius, quod addidit rationem, qua regerentur animi appetitus, qui tum remitterentur, tum continerentur. Quartus autem gradus et altissimus est eorum, qui natura boni sapientesque gignantur, quibus a principio innascitur ratio recta constansque, quae supra hominem putanda est deoque tribuenda, id est mundo, in quo necesse est perfectam illam atque absolutam inesse rationem. (263 Wörter)

- 
- |                      |                                 |
|----------------------|---------------------------------|
| (1) suum             | entspricht hier: ex se          |
| (2) natura, -ae      | hier: das Einzelwesen, Geschöpf |
| (3) inchoatus, a, um | hier: noch unvollkommen         |